

655

C O D I C E S

656

mo *Primus Feliciter*. Initium: *Multifarie et multis modis &c. Vere ubi abundauit delictum. superhabundauit et gratia &c.* Translationem hanc Seculo jam VI. factam *Cassiodoro* nos debere testatur locus ejus de *Div. Lect.* c. 8. *Ad Hebraeos vero Epistolam, quam Sanctus Joannes Constantopolitanus Episcopus Attico sermone tractauit, Mutianum virum disertissimum transferre fecimus in Latinum.* Post editiones complures extat in edit. *Montfaucon. Opp. Job. Chryf.* T. XII. p. 5. ad cujus T. *Praef.* circa ea, quae *Notas Chrysostomi, Constantinum Antiochenum et Mutianum* spectant, Lectorem remittimus. De posteriore videri et *Fabricius in Bibl. med. et inf. Lat.* potest. Codex noster, qui cum edito probe consentit, deficit in his *Sermonis XI.* verbis: *Scit enim cum crudelibus se habere (habitare).* Itaque plus quam *Sermones XXIII.* desiderantur.

II. fol. 58. sequitur caractere paullo vetustiore, rubricisque decoratus *Commentarius Hieronymi Stridonensis* Scriptoris Sec. IV. in *Epistolam Pauli ad Philemonem* absque titulo. Initium est: *Qui nolunt inter Epistolas Pauli eam recipere que ad philemonem scribitur &c.* Finis: *Et totiens crescit. quotiens auditus et lectus edificat.* Nihil abludit ab edito in *Opp. Hieronymi per Vallarsium* T. VII. col. 741.

III. fol. 73. p. 2. succedit continuo eodem cultu ejusdem Doctoris *Commentarius in Epistolam ad*

Galatas inscriptus: *Incipit ad Galathas.* Initium: *Pauci admodum Dies sunt quod epistolam pauli ad philemonem interpretatus ad galathas transcenderam &c.* Hinc liquet, *Librarium nostrum* temporis ordinem secutum fuisse. Ad calcem L. I. litera quadra legitur: *Finitus Explanationum. Tomus. I. Incipit Tomus Secundus.* et ad calcem L. II. *Finitus Explanationum Tomus. II. Incipit Tomus. IIIus.* Hic porro *Tomus* seu Liber, quod dolendum, integer non est, sed deficit in expositionis C. VI. v. 6. his verbis: *sed ei qui catezizat. id est non discipulo.* Extat *Commentarius* hic edit. *Vallars.* T. VII. col. 367. quocum collatum Exemplar nostrum sinceræ lectionis est.

CCXI. VII. E. 23.

Codex membraneus lat. Sec. 341 XV. Folior. 66. f. nitide exaratus, fronte picturata deaurataque *Matthiae Corvini* Reg. Hung. Insignia ostentans, e cujus Bibliotheca olim ad *Job. Fabrum* Ep. Vienn. devenit, ut *Nota* tam impressa, quam calci manu adscripta perhibet, hac gaudet inscriptione: *Incipit liber primus dialogi sancti Jobannis crisostomi constantinopolitani episcopi et sancti basilii cesariensis episcopi college beati gregorii nazanzeni. qui intitulatur de dignitate sacerdotali.* Initium: *Michi quidem multi fuerunt amici &c.* Titulus in eo peccat, quod *Basilium* collocutorem non *levi ἀναρχουσιμω* *Caesariensem*

657

P A T R I S T I C I

658.

sem Magnum illum putet, qui potius *Raphaneensis* in *Syria* Episcopus fuit *Joanni συγχεσος*. An Versio nostra ad aliquem e tribus antiquioribus ejus Interpretibus, puta *Anianum*, aut *Mucianum Scholasticum* aut *Burgundionem* Judicem *Pisanum* pertineat, nescio; ita de ea silent *Germ. Brixius* recentior, et *Bern. Montefalconius* recentissimus Operis nostri *μεταφρασς*. Eam certe in edit. *Veneta Opp. Chrysostomi 1503. fol. 49. f.* adcurate expressam invenio, et *Codex* noster ad calcem habet: *Explicit feliciter liber VI et ultimus Sancti iohannis chrysostomi de dignitate sacerdotali per modum dialogi cum sancto Basilio 1465.* Ita primo faltem *Sec. XV.* dimidio paratam fuisse oportet.

Quis dabit aquam capiti
 Quis succurret pauperi
 Quis dabit fontes oculis
 Lacrimosos populis
 Sufficiantque lacrimae
 Mala mundi plangere.
 Ad triumphum ecclesie
 Cepit otto crescere
 Sumisit otto imperium
 Ut floreret seculum.
 Vivo ottone tercio
 Salus fuit seculo.
 Postquam terre malicia
 Ascendit ad sidera
 In celum raptus abiit
 Regem celi adiit
 Unia habet palacia
 In eterna patria.

CCXII. VII 9. 17.

Codex membraneus *lat. Sec. 565* faltem *X.* Foll. nunc *78. 4.* commode perscriptus sequentia complectitur: *I. Incipit de Reparatione Lapsi.* Initium: *Quis dabit capiti meo aquam. et oculis meis fontem lacrimarum; Oportunius multo nunc a me. quam tunc a propheta dei dicetur &c. Johannis Chrysf.* est ad *Theodorum*, ut *Cod. XC.* quem confer. In edit. *Montefalc. T. I. Paris. 1718. p. 1. f.* Ceterum hic correctius Exemplum, quam *Cod. cit. A fol. 48.* initio *Sec. XI.* Manus quaedam membranae parca marginibus inscripsit *Lessum* rhythmicum in *Ottone III.* defunctum anno *1002.* cujus quaedam nondum extrita huc transferre visum. Init vero:

Regnorum robur periit
 Quando otto cecidit
 Dum otto noster moritur
 Mors in mundo oritur
 Mutavit celum faciem
 Et terra imaginem.
 Plangat mundus plangat roma
 Lugeat ecclesia.
 Sit nullum rome canticum
 Vlulet palacium.
 Sub cesaris absencia
 Sunt turbata secula.
 Plangat ignitus oriens
 Crudus ploret occidens.
 Sit aquilo in cinere
 Planctus in meridie.
 Sit mundus in tristitia
 Nostra luge cythara.